

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus Med.
D. Prof. P. & Poliater. Ad Funebrem delationem Viri ... Dn. Joannis Stalmeisteri ...
Academiae nostrae Cancellarii ... Consiliarii intimi ... Praefecti ... Hodie...na luce
instituendam. Omnes Reipubl. literariae Cives ... invitat : [P.P. Rostochii VII.
Ianuarii Anno cllcLXII. sub sigillo Rectoratus.]**

Rostochii: Kilius, [1662]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn774676469>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,

in

J. Stalmeister.

Rostock. 1662.

31.

PROGRAMMA

Quo
RECTOR

Academie Rostochiensis

JOANNES BACMEISTERUS

Med. D. Prof. P. & Poliater.

Ad

Funebrem delationem

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi & Clarissimi,***DN. JOANNIS
STALMEISTERI,**

Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini

DN. CHRISTIANI, Ducis Mecklenburgi, Principis vetustæ gentis Henetæ, Sverini, Ratzeburgi, Comitis Sverinensis, Terrarum Rostochii & Stargardia Dynastæ, Academiæ nostræ Cancellarii Magnificentissimi Consiliarii intimi, Principatus Sverinensis Inspectoris & Districtus Butzoviensis ac Dobberanensis Praefecti fidelissimi

Hodiernâ luce instituendam.

Omnes Reipubl. literariæ Cives, observanter, officiosè & peramanter

invitat,

• 6 (o) 30 •

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Erale ac solenne Carmen est, quo protohistor ac populi Israelitici Rector Moses patribus ante diluvianis parentavit, ac vitæ linéam novissimam hâc ultimâ ductâ linea ob signavit: *ET MORTUUS EST.* Edidit olim A.Gellius 1.noct 24. trium Poëtarum illustrium sepulchro incidenda Epigrammata: Superbissimum Nævii, quod testimonium esse justum potuisse nisi ab ipso (suimet rivali) dictum esset,

*Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent divæ amæna Nævium Poëtam,
Itaq; postquam est Orchio traditus thesauro,
Obliti sunt Romæ lingua latina loquier.*

Arrogantissimum Plauti;

*Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludus jocusq; & numeri
Innumeris simul omnes collacrymaverunt.*

Modestissimum ac Verecundissimum Paccuvii;

*Adolescens tame si properas, hoc te saxum rogat
Ut se aspicias: deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt Poëtae Paccuvii Marci sita.
Offa: hoc volebam nesciusne essem; Vale.*

Addo verissimam Justi Lipsii epigraphen.

*Quis hic sepultus queris? edisser am.
Nuper locutus & stilo & lingua fui.
Nunc altero licebit. Ego sum Lipsius
Cui literæ dant nomen & tuus favor.
Sed moriens abidi, abibit hoc quoq;*

Ex

Et nihil hic Orbis, quod perennet possidet.

Vix altiore voce me tecum loqui?

Humana cuncta funus, umbra, vanitas

Et scena imago, & verbo ut absolvam; NIHIL.

Ita homines de seculo, sui aut estimatione nimia, aut veritatis professione invitâ, fato suo præciniuere, suorum met Epitaphiorum conditores. Longe verius ac rotundius primus Epicediographus Moses, adulationem in ruborem, veritatem in breviarium contraxit, tribus verbis omnia complexus: *Et mortuus est: expertus scilicet & comminatio- nis divinæ veritatem; Quo die comederitis mortem moriemini, & serpentinæ fallicæ vanitatem; Nequaquam moriemini.* Diu vixere, naturæ nuper constitutæ vigore, vixus moderatione, alimentorum succo, rerum naturalium peritio longo usu firmatâ, cœli & siderum clementiâ adjuti cani Patres ac aurei illiū seculi Heroes (quos plenum voluptatis est, verba sunt B. Lutheri comm. ad Genes. v., *intueri animo quasi oculis, tot Patriarchas simul viventes, qui exēpto Noah fere omnes pri- mū parentum Adam vidissent*) sed illud spaciū non attigere, quod apud DEUM, æternitatis respectu, non nisi unicus est dies. Sive enim inter illa annosæ vivacitatis haud parva exemplaria Methusalah consideremus, qui omnium fuit ~~peragere~~, integrum diem illum vix aut ne vix quidem vixisse constabit; ante solis namq; occasum mortuus est, ut exactè millenariū nō attingeret; sive reliquos priscae ætatis parentes intueamur, quorum sacræ literæ mentionem faciunt, omnes eodem quo sunt creati die, ante vesperā mortuos esse, apparebit. Tullius noster l. i. Tusculanarū sic ait: *Apud Hypanim fluvium, qui ab Europa parte in Pontū influit, Aristoteles inquit, bestias quasdam nasci, quæ unū diem vix vivant. Ex iis igitur horā octā quā mortua est, proiecta etatem mortua est; quæ vero occidente sole, jam decrepita: eò magis si etiam solstitialis dies fuerit. Confer nostram largissimam etatem cum æternitate, in eadem*

eadem propemodum etate, qua bestiola illa, reperiemur. Xenophon Latinorum quendam Regem octingentos vitæ annos donavit, ut Valerius quoq; M. testatur, & ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoq; sexcentos assignavit annos. Dandon quidam eodem Valerio teste, ad quingen- tesimum usq; annum nulla sui parte senescens, processit. Joannes de Temporibus, qui Carolo M. militavit, ejusq; armiger aliquando fuit, annum ætatis trecentesimum se- xagesimum primum attigit. Artephius quidam in naturis metallorum, gemmarum, animalium, abstrusisq; aliis natu- ræ miraculis cognoscendis consenuit; singulari vero bene- ficio & stupendo exemplo, vitam ad mille usq; & viginti quinq; annos prorogavit; modo sint vera quæ de illo notata exstant. Vivacissima est Indorum gens, è quâ Seres qui di- cuntur, CC, Tmoli montis accolæ CL, Cyrni CXL, Musici CXXX, annos, Plinio & Strabone testibus, ut plurimum ex- plere; imo verò si Petro Maffejo est fides, ad numerosiorem senectam pervenire creduntur; qui senē Indum CCCXXXV annorum, ante paucos, cum hæc scriberet, annos denatum recenset: nec legendi nec scribendi rerum tamen triūni se- culorum, quibus vixerat, decursu gestarum peritiâ, ita ex- acte instructum, ut memoriâ haberet pro annalibus, & ejus beneficio omnia prout eadem gesta, à capite ad calcem enarrare posset. Valerius item ex Hellanico quodam autor est, quosdam ex gente Epiorum, quæ est pars Ætolia, du- centos explere annos, Litorium verò quendam ex his ma- ximarum virium staturæq; præcipuæ, trecentessimum an- num cumulasse. Titus Vespasianus anno post Christum LXXIV, censu subditorum habito, reperit homines pluri- mos, qui annos C, CX, CXX, CXXX, CXL, etiam CL, exe- gisset, ut Cornelius Tacitus & Plinius meminere. M. Va- lerius Corvinus centesimum annum explevit, cuius inter primum & septimum Consulatum XLVI. anni intercesse- runt,

tunt, sufficitq; integris viribus corporis non solum specio-
fissimis Reipubl. ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum
suorum culturæ, quod idem Valer. M. testatur. Clodia Au-
li filia, eodem auctore, quindecim filios ante enixis quintū
decimum & centesimum explevit annum. Gorgius Leon-
tinus CVII, superavit annum. Arganthonius Goditanus
octoginta annis patriam rexit, cum ad imperium LX annos
natus accessisset. Epimenides Cnosius, quem D. Paulus Cre-
tensium Prophetam vocat, CLVII annos complevit. De
Septentrionalibus populis refert Olaus M. quod centum &
sexaginta, interdum etiam & plures annos, nulla sui parte
senescentes, attingere conservaverint. Ut sicco jam præte-
ream pede, quæ de Democrito, Sophocle, Hesiodo, Apol-
lonio, Demonace, Hippocrate, Polione Romano, Ga-
leno, aliisq; viris doctis, centesimum ætatis annum super-
stibus Cœlius, Volaterranus, Laertius, imprimis verò
Phlegon Trallianus in Catalogo longævorum demonstra-
vit Quotquot tamen tā numerosa vivacitate felices, reperi-
untur, pro Epitaphio nil aliud obtinuere quam quod mortui
sint. Nox fuit omnis illa ætas, & somnium, dieq; exorto
nusquam comparuit, ut eleganter Chrysostomus habet.
Umbra fuit & pertransiit, fumus fuit & dissolutus est, bul-
lae aquarum fuere, & disruptæ sunt, aranearum telæ fuere
& discissæ sunt. Mortis spicula nemo post primorum no-
strorum parentum lapsum unquam effugere potuit; æquo
siquidem illa pede pauperum pulsat tabernas Regumque
tresses. Et certe quis vitæ humanæ miseriam & fugacita-
tem sanæ rationis veræq; pietatis trutinâ pensitans & ex-
cutiens animæ cum corpore nimis expetitum commer-
cium cum Mercurio Trismegisto gravibus hilce verbis nō
increparet & damnaret? Quo ruitis Mortales Ebrii, qui
merum ignorantiae bibistis. Imprimiste, O Homo! opor-
tet vestem, quam circumfers, exuere, indumentum intci-

tiæ, fundamentum pravitatis, vinculum corruptionis, ve-
lamen opacum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepul-
chrum portile, domesticum furem, corpus quod tè è cœlo
in terram raptat, & cernuo ac prono capite mortalia capta-
re jubet. Quis non quotidie experitur in corpore nostro
nihil constans, nihil pulchrum, nihil delectabile reperiri?
Nunc de ventre, nunc de pectore, nunc de faucibus con-
querimur; modò nervi, modò pedes nos divexant. Ade-
amus Anatomicos singula membra dissecantes, singula-
rumq; imbecillitates, morbos & affectus exprimentes. Quid
enim, si à vertice quis incipiat, Cranium aliud est, quam
testa fictilis? Quid cerebrum nisi gleba coagulata? Quid
nares nisi putredinis meatus? Quid pulmones nisi fragiles
folles? Quid stomachus nisi aqualiculus? Quid venter
nisi saccus vermium? Quid tota corporis moles, nisi mor-
borum vas, vermiumq; pastus? Membra omnia nisi pecca-
torum adjutoria; Spiritus deniq; hominem exagitans, ve-
getans, nisi aura, fugacissima. D. Augustinus non minus piè
quam accurate compagis hujus humanæ miseriam descri-
bens, *Vita*, inquit, *hecce cæca, dubia, & ærumnosa est, quam*
humores tumidant, dolores extenuant, aura morbidant, esca inflant,
jejunia macerant, sollicitudo arcat, securitas hebetat, juventus in-
flat & extollit, senectus incurvat & deprimit. Mirum itaq;
& detestandum certè inter omnia animalia hominem so-
lum esse, qui motus ciet, tumulto excitat, bella movet, acies
instruit; proximum, ex levi vel etiam sæpe nullâ causâ odit,
excarnificat, diris devovet, rapax tagaxq; est, cuius cupiditi-
tibus nec totus Orbis sufficit & cui, ut Seneca ingeniosè
dicebat, *major famæ quam venter est*, cum tamen paulo post
mortem in pulverem & cinerem resolutus vix pugillum im-
pleat. Socrates hanc miseriam expendens, se arbitrari ait,
DEOS vana hominum studia semper ridere. Cum itaque
omnes nostras actiones rectissime Ecclesiastes Vnico *Vanita-*
tis voca-

vis vocabulo complectatur , & vita nostra nihil aliud si-
quam Vanitatum Vanitas; merito ipsis gratulamur, qui va-
nitatem eam deposuerunt & epitaphium Mosaicum obti-
nuerunth.e. *Mortui sunt.* Quâ Mosaical Intimatione & ego hoc
tempore contentus ad justa Dn. STALMEISTERO facien-
ad accedo , ac altâ voce proclamo, ET MORTUUS EST, ge-
nere ac virtute Nobilissimus DN. JOANNES STALMEI-
STERUS, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini
DN. CHRISTIANI, Ducis Mecklenburgie, &c. &c. Con-
siliarius Intimus, Principatus Sverinensis Inspector, Distri-
ctus Butzoviensis & Dobberanensis Praefectus gravissimus,
Vir Literatissimus. Mortuus autem est nequaquam ut so-
lent ignavi, sed ut in ludo crucis varias fortunæ vices &
Mundi fallacias expertus boni certaminis athleta vivere
moriq; omni momento paratus, mortis non minus pru-
dens speculator, quam tristis victima. Mortuus insuper est
in nostri memoriam & exemplum. *Mutorum Animalium,*
(quæ verba à Senecâ è consolatione Marciana supplico)
brevia sint desideria, et si concitata: *Vaccarum uno die altero ve au-*
diatur mugitus nec diutius equarum vagus amensq; sit discursus.
Fera cum vestigia Catulorum conjectatae sunt & sylvas per vagatae,
cum sape ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tem-
pus extinguant: Aves cum stridore magno inanes nidos circumfre-
mant, intra momentum tamen quiete volatus suos repetant. Nobis
qui homines sumus ac dolori nostro adsumus , altius inhæ-
rebit indeleta memoria, cuius qualem cunq; superficiem
singulis ætatis spatiis definitam repræsentamus. Fuit illi
Mensis Febr. Anni M. DC. VII. dies natalis acceptus à viro
Magnifico, Nobilissimo ac Amplissimo DN. HENRICO
STALMEISTERO J Cto, Primum Consule Rostochiense
dignissimo, postmodum Illustrissimi ac Reverendissimi Prin-
cipis ac DN. DN. VD ALRICI, hæredis Norvægiae, Episco-
pi Sverinensis, Sclesvici & Hollatiæ Ducis &c. &c. Cancel-
lario

Iario ac tandem Regiæ Majestatis Danicæ CHRISTIANI IV.
gloriosissimæ memoriae Consiliario. Patre, & Matronarū
Phœnix MARGARETHA CLINGIA Matre: Avum Pater-
num nominavit Virum Amplissimum & Prudentissimum
DN. JOANNEM STALMEISTERUM Reipubl. Paderbor-
nensis in Westphaliâ per XL annos Consulem & Episcopalis
Dicaſterii Aſſefforem gravissimum. Maternum verò Virum
Magnificum & Consuliſſimum DN. BARTHOLOMÆUM
CLINGLUM Jctum & Academiæ hujus nostræ Antecesso-
rem celeberrimum, nec non Consiliarum Megapolitanum
per complures annos meritissimum. Aviam Paternam ha-
buit Matronam honestissimam ANGELEM Jürgens præ-
claro genere oriundam. Maternam veram Matronarum
gemma MARGARETHAM KRONIAM. Proavus Pater-
nus ipsi fuit VIR Amplissimus & Clarissimus DN LUBBER-
TUS STALMEISTERUS Philos. Magister, & Civitatis Pa-
derbornensis itidem per LXI. annos Consul, qui singulari
DEI beneficio annos illos, quibus vitam humanam ple-
numq; terminari ipsa sacra ſcriptura testatur, non ſolum
attigit, ſed quoq; ſuperavit, dum per XCVI. annos vitæ hu-
jus fabulam egit. Maternus vero Vir honestissimus &
gravissimus DN. JOACHIMUS KRONIUS Senator Rei-
publicæ Rostochiensis quondam optimè meritus, DN.
BERNHARDI KRONII Consulis hujus lerbis per multos
annos prudentiſſimi filius, & DN. HENRICI KRONII itidem
hic per complures annos fasces Consulares tenentis nepos.
Proaviae Paternæ nomen quamvis propter defectum hic
exprimi nequeat, conſtat tamen illam ex pervetusta familia
in Westphalia originem traxisse. Maternæ verò nomen hic
notamus, fœminamq; lectissimā MARGARITHAM HAS-
SELBEKIAM DN. ARNOLDI HASSELBEKII Consulis filiā
fuille novimus. Ut jam silentio involvam Abavum DN M.
LAURENTIUM SCHMEDES Senatorem hujus Civitatis
olim

olim dignissimum, ejusq; Filiam AGNETAM uxorem supra
nominati DN. JOACHIMI KRONII, in quo ampla, celebris
& opulenta KRONIORUM familia, quæ quondam in hac Ci-
vitate maximè floruit, tandem, extincto in Italia fratre BERN-
HARDO J. U. D. esse desit. Nolo enim hic in harum famili-
arum laudes descendere; nolo contexere seriem virorum.
præstantium & bonorum, qui ex iis prodierunt: Hoc saltem
referam, esse & antiquitate & gloriâ insignes natales, quibus
prognatus est noster STALMEISTERUS. Cum autem non satis
sit ex nobilissimâ atq; antiquissimâ prosapiâ originem tra-
xisse, atq; vultu & indole progenitores suos referre; sed
oporteat, quæ in nobis scintilla ingenii gliscit, accendatur,
multumq; sit, à teneris assuescere, parentes summâ curâ ab
ipsis incunabulis eum educandum & pietatis ac literarum
rudimentis instituendum recte existimarunt. Unde filium
hunc fidissimis præceptoribus privatim erudiendum com-
miserunt. Visus itaq; acerrimi ingenii adolescens priùs fer-
me maturuisse quam floruisse; non ille, quod de Epimenide
Cretense Plutarchus memorat, *in juventute dormivit, in sene-*
citate demum experrectus, sed in humaniori literatura brevi
temporis spatio tantos progressus fecit, ut cum fructu altio-
ribus animum applicare posset. In Academiam itaq; Gry-
phisvvaldensem vicinam, velut ad uberiorem literarum
mercaturam ablegatus, non more ævi nostri pravo, insalu-
tatis Musis Themidos arcem invasit, sed primitus historiarū
& politices thecas discussit, exinde depromptis hostimentis,
Astreæ felicissimè litavit, ejusdē sacraria penitus scrutatu.
19. Hinc Jenensium & Francofurtensiū Musas adiit, iisq; tan-
dem valere jussis ad Leidense sese contulit Lyceum, in
quo cœptam juridici studii telam strenue texere perrexit,
Nactus laudabilem tām in hac, quam in vicina Groningensi
Frisorum Academia, rerū juridicarum peritiā, is esse vide-
batur, qui aliorum hominum mores & Urbes videret, & ut

Homerus de Ulysse loquitur *πλάντας* fieret, Humiles enim & plebeje animæ, inquit Lipsius, domi resident, & affixa sunt suæ terre: divinior est illa, quæ cælum imitatur, motuq; gaudet. Puer quippe semper est, ait discipulus Lipsii, Puteanus qui domi est, qui extra agelli ambitum Solem non videt. Est namq; peregrinatio instrumentum ad usum rerum & prudentiam acquirendam accommodatissimum. Ideoq; Germania aliquantulum relicta præcipuas Galliæ perlustravit provincias, Urbes, & imprimis florentissima, quæ in iis reperiuntur bonarum artium Emporia, quarum alia diversiori, alia commorationis loco ipsi fuere. Nam Lucetiae Parisiorum per aliquot tempus substituit, hincq; in Montem Pessulanam se contulit Academiam, itemq; Bituriges, Pictavium, Lugdunum, & Roschelles adiit. Tandem varia scientia & morum gravitate instructus almam Agrippinam ingressus est, ibiq; eximia progressus sui Specimina edidit. Verum dum ibi subsistit, inopinato utroq; parente, spacio trium septimanarum, orbatur. Quo obtento tristi nuncio ad hanc nostram Rhodopolin se convertit, domumq; reversus cum Sororibus germanis, quarum tres habebat MARGARETHAM scilicet, nuptram DN. JOANNI GROTON, AGNETAM & SOPHIAM tunc temporis Virgenes, Hæreditatem Paternam adiit, atq; re domi disposita à WILHELMO Principe Nassoviæ &c. accersitus, Legati vices ad Regem Galliæ suscipere coactus est, quam spartam etiam ita ornavit, ut in ipso juremerito nihil desiderari potuerit. Anno M. DC. XXXVI, ex Gallia redux disponente ita Divino numine, Groningæ Conjugalem vitam ingressus est, ducta in Uxorem Castissima Lectissimaq; Fæminâ JOHANNA ROSERS Viri Nobilissimi & Strenui DN. ANTONII Wineken hæreditarii in Knigheim/ Ditzum & Göddelinse/ Vicarii Capitanæ apud præpotentes Belgii Ordines relicta Vidua, cum quâ per annos XX, sex Menses & duas septimas summâ animorum conjunctione vixit, memor illius Homeriani.

Nihil est in toto melius vel dulcius Orbe,
Vnanimes quam si studiis concordibus una
Fæmina, virg. domo vivunt

atq; auspiciatissimi fæderis pignora septem numeravit. Tres scilicet filias & Quatuor filios, quorum quinq; utpote MARGARETHAMI. JOHANNAM. MARGARETAM II. HENRICUM I. & JOHANNEM in cœlestes præmisit oras. Duas verò AMILIAM ELISABETHAM omnib; animi corporisq; dotib; locupletissimâ Virginé & HENRICUM I. summæ spei optimæq; indolis Adolescentē, adhuc superstites orphanos post se reliquit, qui Parentis inexspectatū obitum acerbissimis in præsentiarum prosequuntur lachrymis. Adferebat se-
cum

cum JOANNA ROSERS ex priori Conjugio quinq; filios, & unam filiam,
quos tamen privignos privignamq; ~~hercet~~ noster non alio loco habe-
bat, quam si uo eos de sanguine progeniisset, deditq; operam sedulo, ut in
Viros fortis adolescenterent. Hinc quoq; factum, quod maximus natu AILKO
ANTONIUS patris in officio militari succedaneus, apud Ordines Hollandia^m,
LUCAS primum apud Serenissimum Regem Dania^m, postmodum vero, apud
Regiam Maj. Suecicam Magister equitum, MICHAEL, HARO itemq; NI-
COLAUS omnes tres Magistri equitum creati sint. E quibus tamen LUCAS
& NICOLAUS fatis jam concesserunt. Filia autem privigna ETTA Nobilis,
& Strenui Viri JOANNIS RODERIGI de PITA Celsissimi olim Ducis
Megapolitani stabuli praefecti Vidua praesens hic jam est, & obitum Parentis
acerbe luget. Sub initium Conjugii per aliquor annos Prædium Ringheim^b
inhabitavit: postmodum vero Consiliarius Celsissimi Principis ac Domini DN.
ADOLPHI FRIDERICI Ducis Megapolitani beatæ recordationis Came-
ralis nominatus est, atq; ita relieto prædio Sverinum sese contulit, ut sibi de-
mandatò muneri majori cum diligentia praefesse posset. Anno M. DC. XLII.
apud Regium Svecicum exercitum per Bohemiam, Moraviam & Silesiam
Auditoris Generalis & Ducatus Glogoviensis Præsidis justitiarii officium de-
mandatum ei est, in quā spartā exornanda etiam talem se præstítit, qualem virū
fortem atq; prudentem decebat, in eaq; statione tam diu permansit, donec
aurea illa pax in Westphalia, DEO clementer ita disponente, inita publicare-
tur. Nō possum, quin hic idē denostro DN. STALMEISTERO proferā, quod de
ipsius DN. Parente p. m. Academia hujus nostræ ocellus THOMAS LINDE-
MANNUS beatæ memorie in Programmate funebri scribit, ubi inquit.
Certe totam viri hujus vitam si consideres, inconstantis Fortunæ fabulam in eo de-
prehendes. Quem penitus prostratum multi omina bantur, hunc sors in scenam
mundanam felicibus auspiciis personam agentem reduxit. Tessera fuit, que modò
vulturium canem vel senionem, paulo post inversa Venerem & Herculem repræsen-
tavit. Pilæ instar modo in sublime iactus, modo in medio detentus, modo humi proje-
ctus, bone conscientie alis semper elevatus, erectus & tandem miraculose libera-
tus est. Ante aliquot enim annos postquam iterum Patrios salutasset lares, vir-
tutis radii in Principiis Celsissimi CHRISTIANI, Ducis Megapolitani Dn. no-
stri clementissimi, penitiores recessus penetrarunt, ejusq; Celsitudinis clemen-
tia affectum excitarunt & eo permoverunt, ut Viro huic sparta simul una
vice triplex, Consiliarius nimirum & Principatus Sverinensis Inspectio, atq;
districtus Butzoviensis & Dobberanensis praefectura committeretur. Hosce
novos vitæ carceres STALMEISTERUS noster fortiter & animose decur-
rens,

rens, intra officii cancellos se continuit, Consilia ad pacem & concordiam direxit, iustitiam & salutem publicam actionum suarum veluti normam & cynosuram ob oculos semper habuit, in consiliis omnibusq; sibi commissis expeditionibus fidem, integratatem ac prudentiam Celsissimo probavit, atq; ita virtutibus hisce animum adversus affectuum motus & adversitatum imperus obsfirmavit, masculaq; constantia omnes calamitatum, invidiæ & livoris ictus ac morsus excepit, declinavit, repulit. Ait mortem repellere non potuit. Postquam enim Anno M. DC. LVI. dulcissima sua Conjuge orbatus esset, ac postmodum in viduitatis statu permaneret, multa viduitatis incommoda experiri coactus est, quæ etiam vires corporis paulatim ita fregerunt ut, cum Anno M. DC. LX. Mense Martio iter ad vicinum oppidum Bukovium suscipere cogeretur, ibiq; aëre tunc temporis ab Exercitu Cælariano infectu haussisset, ferè semianimis proprios lares repeteret. Domum itaq; reversus, statim quidem salutaribus pharmaciis malo huic acutissimo, (febre enim maligna laborabat) obviam itum, nihil tamen effectum, quin potius vicit vehementia mali, tantasq; confertim vires acquisivit eundo, ut Naturæ potestatem & Médi ci industria eluderet. Quo factum, ut labescentibus paulatim viribus, cum jam ante animam Viatico salvifico corporis & languinis Christi obfirmasset, præsentibus Viris Admod. Rey. Excell. & Clariss. DN. D. JOH. QUISTORPIO & DN. M. THEOPHILO Grossgebauri inter amplexus suorum, placidissimo quasi somno obdormiscens, tertio Aprilis hora Undecima antemeridianâ expiravit & ex hisce regionibus, ubi vita erat in exilio, via in periculo, finis in dubio, transiret supra cœlorum cœlos, ubi dolor non sentitur, malum non timetur, sed summum bonum possidetur. Ad hujus itaq; defuncti Viri exuvias hodie tumulo recondendas, ut frequentes conve-niat & lugentibus condoleatis, qui nostram agnoscitis jurisdictionem, valde rogamus. Id Familia nobilissimæ deej; literatis optime meritæ debetis, debetis quoq; & nobis qui jubemus. Ipsi mortales vestræ conditionis memor res hoc agito, ut præ cœlestibus hac terrestria contemnatis, & semper ad ævi-terna gaudia suspiretis. Nam

Vita memor lethi delicta enormia vitat
Et facit, ut Lethi lœta sit horapius.

P. P. Rostochii VII. Januarii Anno clc lcc LXII.
sub sigillo Rectoratus.

Conventus fiet in templo Jacobæ horâ primâ.



GK



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774676469/phys_0018](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774676469/phys_0018)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn774676469/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774676469/phys_0020)



runt, sufficitq; integris viribus corporis uissimis Reipubl. ministeriis, sed etiam ex auctorum culturæ, quod idem Valer. M. telli filia, eodem auctore, quindecim filios a decimum & centesimum explevit annuntius CVII, superavit annum. Arganthus octoginta annis patriam rexit, cum ad innatus accessisset. Epimenides Cnosiensis, qui tensum Prophetam vocat, CLVII annos Septentrionalibus populis refert Olaus Magnus sexaginta, interdum etiam & plures annos senescentes, attingere consueverint. Uream pede, quæ de Democrito, Sophocle, Ionio, Demonace, Hippocrate, Pollio, Ieno, aliisq; viris doctis, centesimum ætatemibus Coelius, Volaterranus, Laertius Phlegon Trallianus in Catalogo longævitatis Quotquot tamen tā numerosa vivacitatem, pro Epitaphio nil aliud obtinuerent sint. Nox fuit omnis illa ætas, & somnusquam comparuit, ut eleganter Chrismum fuit & pertransiit, fumus fuit & lumen aquarum fuere, & disruptæ sunt, arans & discissæ sunt. Mortis spicula nemo prostrorum parentum lapsum unquam effugit, siquidem illa pede pauperum pulsat tabernacles. Et certe quis vitæ humanæ misitatem sanæ rationis veræq; pietatis trutuciens animæ cum corpore nimis expicuum cum Mercurio Trismegisto gravibus increparet & damnaret. Quo ruitis Merum ignorantiae bibistis. Imprimis tet vestem, quam circumfers, exuere, in

A 3




Image Engineering Scan Reference Chart T763 Serial No. [redacted]

Patch Reference numbers on UTT

11

peciorum
ia Au-
quintū
Leon-
itanus
annos
us Cre-
tum &
parte
præte-
Apolo-
Gaus
super-
s verò
onstra-
reperi-
mortui
xorto
habet.
st, bul-
fuere
m no-
æ quo
imque
gacita-
is & ex-
numer-
bis nō
iii, qui
opor-
inici-
e, fun-